







17506  
No: 141.  
1791 6 17

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

DIVISIONIS FACTORVM NVPTIALIVM  
IN SIMPLICIA ET MIXTA ORIGINE  
AVCTORITATEQVE PRAESENTI

PRAESIDE

MARTINO GOTTLIEB PAVLI D

DIGEST. VET. P. P. O. CVRIAE PROVINC. CONSISTOR.

ECCLES. SCABIN. ET FACVLT. IVRID. ASSESSORE

DIE XXIX. MENS. APRIL. A. O. R. CIOCCCLXXI

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

A B

EHRENFRIED LEBRECHT BLOCHMANN

LAVB. LVSAT.

---

VITENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII

ACAD. A. TVPIS.



DISSERTATIO IURIDICA

DE

DIVISIONIS FACTORVM INVTIALIVM  
IN SIMPLICIA ET MIXTA ORIGINE  
AVCTORITATEQVE PRAESENTI

PRAESIDIO

MARTINO GOTTLIEB PAULI D.

DIGEST. ET P. F. O. CVRIAE TROVING. CONSISTOR.

ECCLIAE SCABIN. ET FACULT. IURID. ASSESSORE

DIE XXIX. MENS. APRIL. A. O. R. CXCIGCCLXXI

AD DISCERTANDVM PROPOSITA

A. B.

EHRNFRIED LEBRECHT FLOCHMANN

1771

VITAE BERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DERNI

ACADEMIAE








Q. D. B. V.

DISSERTATIO IURIDICA

DE

DIVISIONIS PACTORVM NVPTIALIVM  
IN SIMPLICIA ET MIXTA ORIGINE  
AVCTORITATEQVE PRAESENTI.

§. I.

 Tricum fermone, sed verissimum quoque prouer-  
bium est, *Male ventibus vilissima humano ge-  
neri elementa, ignis et unda nocent.* atque Ius nostrum  
ciuile Romanum eius rei testimonium praebet luculentissi-  
mum. Receptum est in rebus publicis nostris ius istud

A 2

pere-





peregrinum, primo quidem priuata tantum, deinceps vero etiam auctoritate publica, est, saluis tamen et integris vbique moribus patriis receptum est, tamquam in subsidium. Quam ob rem in diiudicandis negotiis ciuilibus dirimendisque litibus iuris nostri patrii primo omnium habenda ratio, et in eius dispositione, ab iure Romano quamuis alienissima, adquiescendum, deficientibus autem his iuribus domesticis, in subsidium adhibendum est peregrinum Romanum. Sed in ipsa quoque huius iuris applicatione caute semper prouideque versetur, necesse est. Namque plura continet ius ciuile capita, quae ad statum Romanorum publicum pertinent, plura praeterea, quae principiis nituntur, rebus publicis nostris parum concinnis, et vix opus est dici, quod liquet vltro, ea omnia nostris in foris usum habere nullum. Hac duplici restrictione iuris ciuilis auctoritas iustis quidem circumscribitur limitibus, sed tantum abest, hac ratione vt imminuatur illius rectus, aut euertatur funditus usus, vt eius potius prohibeatur abusus, vtque, non obstante ea, non verear repetere, quod ab aliis viris doctis dictum est scriptumque verissime, Iurisprudentiam Romanam adhuc hodie et in quouis foro certissimas praestare iuris dicundi regulas. Ast non desuerunt olim, nec desunt fortassis hodie ICi, qui  
hac





hac ex parte omnia alia sentiunt, quique iuris ciuiliſ auctoritatem cancellis tam arctis circumscribi nolunt, eiusque praeſtantiam turpiter hac ratione pollui, contendunt. Ita autem qui sentiunt, iuri Romano non tam subsidiariam et iure Germanico inferiorem, quam potius, nisi maiorem, auctoritatem certe tribuunt, moribus patriis aequalem. Quoniam vero ab antiquissimis inde temporibus mores in Germania viguerunt iuraque quam plurima, quae ius ciuile Romanum ignorat partim, partim vero etiam reprobatur prorsus, maioresque nostri, ut ea iura e foris nostris exterminarentur, eicerentur, passi sunt nunquam, isti Icti omnia sua studia, omnem operam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in id insumerunt, ut hos mores patrios addendo hinc, illinc detrahendo non nihil, ad normam iuris ciuiliſ ornarent, seu deformarent potius, atque hac ratione patria iura et peregrina, diuersissima haud raro, non tantum in concordiam reducerent, sed praeterea id quoque efficerent, ut patrios nostros mores auctoritati iuris peregrini Romani subiicerent. Haec incongrua iuris Romani praxis magnam in iure, quo hodie utimur, doctrinarum produxit cohortem, quae, si dicendum, quod res est, neque Romani sunt, neque iuris Germanici doctrinae, quaeque vnice ingenio istorum Ictorum





rum, quorum tamen auctoritas, sine auctoritate legis, nulla est, omnem suam debent originem. Ne vero, quae hucusque diximus, dicis causa scripsisse videamur, nunc, age, rem omnem exemplo eius iuris hodierni loci, quem in fronte huius libelli indicauimus, illustremus et comprobemus vterius.

§. II.

Pacta dotalia, quae, praesertim hodie, nuptialia quoque et antenuptialia, item tabulae matrimoniales, Germanice, *Ebestiftungen*, *Ebeberedungen*, *Ebepacten*, *Ebenoteln*, *Ebezaerter*, *Ebeliche*, *Heyrathsbriefe*, *Heyrathsnoteln*, et q. s. r. nuncupantur, maioribus nostris ab antiquissimis inde temporibus cognita fuerunt, <sup>a)</sup> et, ex principiis iuris nostri patrii, pacta sunt, vel conuentiones, quibus coniugum iura, tam durante matrimonio, quam soluto eo definiuntur. Ineuntur autem ea pacta inter sponsum potissimum sponsamque, accedente tamen saepissime vtriusque parentum, ceterorumque omnium, quorum interest, consensu. Ineuntur vt plurimum ante matrimonii consummationem, quod ybi fit, primo omnium iterata

<sup>a)</sup> Lex Ripuar. Tir. XXXVII. §. 1. adde Iust. Christ. Dithmarum ad Tacitum de Morib. Germ. Cap. XVIII. not. 4.



consummandi matrimonii promissio ab sponso sponfaque sibi invicem facta, in iis solet praemitti, nihil autem impedit, quo minus ea consummato iam matrimonio condici possint. Ipsa horum pactorum contenta quod attinet, generatim, vti dictum, futuri matrimonii ipsorumque coniugum iura, tam durante matrimonio, quam soluto eo, iis determinantur. Primo autem eorum veluti capite, praefertim hodie, quid vxor tam dotis, quam apparatus et instructus muliebris nomine, illatura sit in matrimonium, definiiri solet. Tacitus quidem, *dotem*, inquit, <sup>b)</sup> *non vxor marito, sed vxori maritus offert*, atque maiores nostri dotem, quam vxor afferret marito, ignorabant prorsus, sed introducto iure Romano, iura quoque dotis Romanae in mores venerunt, adeo, vt et illustres personae nobilesque sensim ad ea se accommodarent. Deinde his pactis ex parte mariti, ad cuius officium, ex constanti maiorum nostrorum consuetudine, pertinet, vxorem non durante tantum matrimonio alere, sed curare quoque, vt habeat, vnde post eius mortem ali possit et sustineri vidua, eius rei promissio fieri, atque dos, quae tamen hodie et post receptam dotem Romanam *Dotalitium* vocatur, item

<sup>b)</sup> De Morib. Germ. Cap. XVIII.





item *Vidualitium*, *Vitalitium*, *Doarium*, *Wittum*, *Leibgeding*, *Leibzucht*, *Wittwenfutz*, constitui solet. Ne vero vaga sit et incerta haec dotalitii promissio, res, in qua illud consistere debeat, illius quantitas, item quamdiu vidua, quibusue sub conditionibus illud percipere queat, haec, inquam, omnia his pactis definiuntur, insimul quoque eorum, quae promissa sunt, omnium vxori praestatur securitas. Solet praeterea maritus, vti olim, ita hodie quoque postridie nuptiarum vxori, in signum initii, vti volunt iuris Germanici interpretes, omnis vitae confortii, iurisque vniuersi cum ea communicati, donum dare munusue, quod *Morgengaba* dicitur. Quamuis autem ea peracta prima nocte tradatur statim vxori, eiusque dominium pleno iure in eam transferatur, nihilo tamen secius in pactis nuptialibus, quae ante consummationem matrimonii fiunt, huius donationis mentio fieri, illiusque quantitas definiiri nonnunquam, nonnunquam vero etiam ab sponso indefinite tantum, his veluti verbis, *es verspricht der Herr Braeutigam seine Fraeulein Braut nach vollzogenen ehelichen Beylager standesmaessig zu bemorgengaben*. Sponsus solet promitti. Ex iure Romano innotuit in Germania quoque propter nuptias donatio et augmentum dotis, cumque, vti plura alia iuris ciuilibus loca, vtrumque hoc caput

suc.





successu temporis deduceretur in praxin, in pactis quoque nuptialibus quam frequentissime hodie huius donationis propter nuptias et augmenti dotis mentio fieri, omniaque ea, quae inter paciscentes hac ex parte conueniunt, iis inferi solent. Sunt praeterea aliae condiciones plures, plura capita, in quae haud raro statim sub initium matrimonii conueniunt coniuges, quaeque vel bona eorum atque vtrum ea communia esse debeant, nec ne? vel ad quaeustum tantum respiciunt, quibus porro, quae ratione liberorum suscipiendorum et educandorum, quin, et in casum orbitatis placuerunt, iura et obligationes, item iura coniugis superstitis atque illius aequae, ac liberorum in bona coniugis parentisue defuncti successio definiri solent, quod, si fuerit factum, pactis his nuptialibus, quae conueniunt, omnia inferi solent. Ceterum quae dicta sunt hucusque non necessario omnia omnibus in pactis nuptialibus continentur, et ab paciscentibus omnibus definiuntur. Quin, cum ordines hominum ciuiumque in Germania diuersi sint, et diuersa quoque diuersorum ordinum iura, prouti, qui eiusmodi pacta condunt, ad classem vel illustrium personarum, aut nobilium pertinent, vel ad burgensium, aut rusticorum, ita his suis pactis hoc vel illud caput definiunt, cetera vero, tanquam aliena, relinquunt

B

inta





intacta. Modum, conficiendi eiusmodi pacta, et formam eorum quod attinet, parum ille vel nihil recedit ab isto omnium pactorum modo conficiendi communi. Consensus pacifcentium, omniumque eorum, quorum interest, requiritur, qui, quando ista pacta in scripturam rediguntur, subscriptione contrahentium et sigillorum nonnunquam appositione declaratur. Non autem necesse est, ut describantur; imo potius nuda nuncupatione fieri possunt, atque ab rusticis ut plurimum hoc modo conficiuntur, quo tamen casu ut plurimum coram iudice conficiuntur et re gestis iudicialibus inferuntur. Quacunq; vero ratione fiant, effectus tamen eorum semper iidem sunt, atque, simulac matrimonium, quod futurum supponunt, fuerit consummatum, vires nanciscuntur suas, adeo, ut ab hoc tempore tam constantis, quam soluti matrimonii, ipsorumque coniugum iura ex iis, tanquam ex lege familiae, sint diiudicanda. Vim quoque suam obligandi perpetuo servatam servant rectam, retinentque illaefam, nec ab iis recedi, aut, quae per ea constituta sunt iura et obligationes, iterum tolli possunt, nisi, quam fieri volunt, vel subrogatio, vel obrogatio, vel abrogatio eorum, mutuo utriusque coniugis eorumque, quorum interest, omnium consensu fiat.

§. III.





## §. III.

Sed de pactis Germanorum nuptialibus hoc loco quantum facis. Pergimus proinde ad dotalia Romanorum pacta. Perspicuum autem est, atque inter omnes, qui iuris Romani notitia leuiter tincti sunt, constat, dotem apud veteres Romanos vxorem, aut, vxoris loco et nomine, alium obtulisse marito, eamque nil esse aliud, quam bonorum quantitatem pecuniamque marito ad onera matrimonii sustinenda datam. Modos, constituendi dotem, quod attinet, personas item, a quibus constituatur, res, quae possint in dotem dari, effectus constitutae dotis, et quae praeterea iura dotium respiciunt, haec, inquam, omnia, tanquam aliena ab hoc loco, intacta relinquo, et ad ea, quae rem nostram tangunt, ad pacta progredior, quae apud veteres Romanos quam frequentissime dotis dationi dictionique adiciebantur, quaeque pacta sunt, de dote, deque donatione propter nuptias, aliisque, quae pacificentes hoc respectu sibi inuicem stipulantur, inita. Iniri autem ea possunt tam ante, quam post nuptias, (\*) atque stipulatione olim firmabantur nonnunquam, nonnunquam vero nudis quoque iniebantur verbis. Quaecunque vero ratione inita sunt,

B 2

sunt,

\*) L. I. D. de Pact. dotal.





sunt, validam tamen in vita ciuili producant obligationem, atque seruanda sunt a paciscentibus. <sup>d)</sup> Ceterum eiusmodi pacta certis iure Romano adstricta sunt conditionibus, quas, si neglexeris, vim suam perdunt officiumque. Harum autem legum prima est et principalis, *ne quid haec pacta ingrediatur, quod bonis moribus contrarium.* Quorsum pertinent ea pacta omnia, ad delinquendum quae invitant, veluti, ne de moribus agatur, <sup>e)</sup> ne ob res amotas agatur, <sup>f)</sup> ne dolus praestetur, <sup>g)</sup> vt constante matrimonio donare liceat inter coniuges, quas tamen donationes ius ciuile fieri vetat. <sup>h)</sup> et q. f. r. Porro praecipunt iura Romana, *ne quid haec dotalia contineant pacta, quod ipsius dotis naturae sit contrarium.* Quoniam vero dos marito ad sustinenda datur matrimonii onera, consequens est, vt omnia sint irrita pacta, naturaeque dotis contraria, quibus dos inanis redditur et inutilis marito, qualia v. g. sunt, vt ne fructus rei dotalis percipiat maritus, sed vt ii in dotem conuertantur, aut maritus eos reddat, <sup>i)</sup> item, ne ob impensas neces-

<sup>d)</sup> L. 1. C. de Pact. conuent. tam super dote, cet : l. 10. C. de Pact.

<sup>e)</sup> L. 5. pr. D. de Pact. dotal.

<sup>f)</sup> L. 5. §. 1. D. Eod.

<sup>g)</sup> L. 27. §. 3. D. de Pact. l. 23. D. de R. I.

<sup>h)</sup> L. 5. §. 1. D. de Pact. dotal.

<sup>i)</sup> L. 4. D. de Eod.





necessarias, in dotem ab marito factas, agatur, neue eae dotem minuant. <sup>k)</sup> et al. Praeterea iura ciuilia vetant, *dotis causam pactis eiusmodi reddere deteriores*. Quamobrem omnes istae conuentiones, quibus id efficitur, vt mulier vel penitus fiat, vel ex parte tantum indotata, illicitae sunt et prohibitae, veluti, si, vt, soluto matrimonio, minus ab marito reddatur, quam dotis nomine accepit, conuenerit, <sup>l)</sup> vt porro dos post mariti mortem ad illius heredes deuoluatur, vxoriquē non restituantur, <sup>m)</sup> vt maritus dolum solummodo in dote, non autem damna culpa sua data resarciat, <sup>n)</sup> vt, soluto matrimonio, dotem maritus non statim, sed die reddat vltiori. <sup>o)</sup> Illicita quoque sunt ea pacta, quibus *mutuus coniugum amor turbatur, aut turbari potest*, hinc improbant v. g. iura ciuilia pactum, quo conuentum, vt dotis in securitatem a marito dentur fideiussores, quae enim se ipsam marito credidit vxor, ea, vt eidem dotem quoque credat suam, amor postulat coniugalis. <sup>p)</sup> His tandem omnibus addo, quoniam iure ciuili hereditas, nisi vel testamento, vel lege, defertur nulla, apud veteres Romanos pacta dotalia, quibus *futura coniu-*

B 3

<sup>k)</sup> L. 5. §. 2. D. Eod. <sup>l)</sup> L. 5. pr. D. Eod. <sup>m)</sup> L. 2. D. Eod.

<sup>n)</sup> L. 6. D. Eod. <sup>o)</sup> L. 14. 15. 16. 17. D. Eod.

<sup>p)</sup> L. 1. et 2. C. Ne fideiussores dotis dentur.





coningum successio ordinabatur, non tantum incognita fuisse, sed plane prohibita. <sup>2)</sup> Ceterum, uti omnia alia, ita quoque pacta dotalia mutuo paciscentium consensu perficiebantur quidem, sed intercedente tamen nonnunquam scriptura, hinc toties in iure nostro dotalium mentio fit instrumentorum.

§. III.

Itaque apud Germanos aeque ac apud veteres Romanos pacta nuptialia atque dotalia omni tempore fuerunt in usu, ea autem, quae de utriusque gentis dotalibus pactis diximus hucusque, iura nostra patria multis in capitibus quoad ea discrepare ab iure civili Romano, comprobant, opinor, abunde. Etenim pacta, quae sunt iuris Germanici, nuptialia, latissime se fundunt, Romanorum dotalia vero arctioribus multo angustioribusque limitibus sunt circumscripta. Omnium principalis autem differentia, quae inter utraque intercedit, haec, si quid video, est, quod iure civili de futura coniugum successione pacisci, seuera lege prohibitum, iure nostro patrio vero eiusmodi successoria pacta non tantum non prohibita sunt, sed omni potius

<sup>2)</sup> L. 15. C. de Pact. l. 5. C. de Pact. conuent. tam super dote, cer. l. 15. D. de suis et legit. hered.





ritus tempore licita fuerunt, adeo, ut, uti olim, ita quoque hodie pauca, quin, nulla propemodum pacta incantur nuptialia, nisi, quae simul successoria tum coniugum inter se, tum quoque ratione liberorum nonnunquam contineant pacta. Quanta vero etiam sit et quam magna, quae inter utriusque gentis intercedit nuptialia pacta, differentia, in eo tamen ius nostrum patrium atque peregrinum Romanum amice conspirant, ut utrumque diuisionem horum pactorum in simplicia et mixta ignoret prorsus et respuat. Nihilo tamen secus iam inde ab renatis litteris in scholis Ictorum, in eorum commentariis ceterisque, quibus iura nostra illustrarunt, scriptis, quin, in ipso adeo foro et vita ciuili ista diuisione nihil est frequentius. Quae cum ita sint, iure quaeritur meritoque, quid sibi velint Icti hac diuisione, atque vnde ea suas habeat origines? Intelligunt autem Icti per pacta dotalia simplicia ea pacta, quae per modum actus inter viuos, per modum contractus; per pacta mixta autem, quae per modum et in vim vltimae voluntatis ineuntur. Origines autem illius quod attinet, eae non ex iure scripto reperendae, sed Ictorum saeculorum superiorum ingenio adscribendae sunt, et incongruae iuris Romani praxi debentur. Nimirum, qui architecti istius sunt diuisionis, Icti animaduertebant, pa  
eta





Ita Germanorum nuptialia multis in capitibus differre ab  
 pactis Romanorum dotalibus, et in illis, secus ac in his,  
 de futura coniugum, liberorumque nonnunquam, succes-  
 sione, quae inter paciscentes conuenerant, definiri. Sed  
 Romana iura de futura hereditate pactis quid disponere,  
 non permittunt, Germani e contrario iura moresque suos  
 patrios et auitos deferere prorsus, et iugo iuris peregrini  
 se submittere nolebant. Itaque, ne Romani iuris aucto-  
 ritas hac ex parte vilesceret, utque patria nostra iura et  
 peregrina, diuersissima quamuis, in concordiam, quantum  
 quidem fieri poterat, reducerentur, atque ista horum au-  
 ctoritati subiicerentur, istam iterum iterumque dictam  
 pactorum nuptialium diuisionem, ad haec usque tempora  
 incognitam prorsus, isti Icti fabricarunt, atque mediante  
 ea, quod moliebantur, opus perficere fategerunt. Non  
 enim apinis tricisque, et si quid uilius istis, haec annume-  
 randa diuisio, imo ea potius principium est et fundamen-  
 tum, quo omnis istarum nititur nouarum doctrinarum  
 farrago, quibus, quod animo intenderant, perfecerunt.  
 Scilicet posita hac et praestructa diuisione, ulterius progre-  
 diebantur Icti, atque, quoniam pacta nuptialia, quae  
 mixta dicuntur, ea sunt, quae per modum et in vim ulti-  
 mae voluntatis sunt, exinde concludebant, ergo mixta  
 pacta





paeta nuptialia sunt vltima voluntas. Sed iure Romano voluntas omnis vltima ambulatoria est vsque ad mortem, hinc noua argumentatione, ergo paeta nuptialia mixta ambulatoria sunt, et liberrime ab vna contrahentium parte, inuita quamuis altera, aut mortua, mutari possunt et reuocari, colligebant. Vltimae porro voluntates omnes, quae priuata sustinentur auctoritate, apud Romanos septem, vel saltem quinque requirebant testium praesentiam, vnde, ex mente istorum ICtorum, sequitur, vt paeta mixta extraiudicialia, nisi praesentibus vel septem, vel saltem quinque testibus facta sint, vim in vita ciuili auctoritatemque habeant nullam, nullamque producant nec obligationem validam, nec actionem. Quidquid praeterea iura ciuilia Romana de vltimis voluntatibus sanciuerunt, ea isti ICri omnia, quantum fieri potuit, ad paeta translulerunt nuptialia mixta, hac autem incongrua iuris Romani ad patrios nostros mores, doctrinamque de paetis Germanorum nuptialibus adplicatione systema iuris exstruxerunt, cuius in legibus tam patriis antiquioribus, quam peregrinis Romanis nec volam deprehendimus, nec vestigium.

§. V

Quid igitur? *Profliganda*, inquit Vir Illustr. *Ioannes Stephanus Pütter*, \*) *distinctio paetorum dotalium in simplicia*

C

cia

\*) Element. Iur. Germ. priuat. hodiern. §. 288.





cia et mixta, quam ineptissima diuersorum iurium mixtura non sine insigni iuris patrii detrimento peperit. Cumque, qui huius diuisionis doctrinarumque, quas §. antecedit, in compendio exhibui, omnium architecti sunt, non legislatores fuerunt, sed interpretes legum et iurisconsulti priuati, quorum auctoritas, sine auctoritate legum, nulla est, dixit Pütterus, quod res est. Sed, quoniam tamen, qui his doctrinis principiisque erant innutriti, ICTi ab renatis inde litteris in principum palatiis, curiis et iudiciis illustrioribus vbique regnabant, et ab his principibus statibusque Imperii, quos ab saeculo XVI. innumeras paene edere coepisse nouimus nouas leges prouinciales, *Constitutiones, Land-Rechte, Policy-Ordnungen, Hof-Gerichts-Canzelley-Proceß-Gerichts-Kirchen-Consistorial-Ehe-Ordnungen, Reformationes* et eius generis alias plures, harum legum condendarum causa, in consilium adhibebantur, factum est, vt ab his ICTis, et ex eorum consilio ista pactorum nuptialium diuisio, doctrinaeque superstructae in has nouas leges prouinciales huc et illuc passim transferrentur, atque hac ratione iuris scripti auctoritatem nanciscerentur. Factum hoc est, teste *Viro Illustr. Ioann. Georg. Estor* \*) in Ordinatione Politica Schaumburgensi, cap. XVIII. et in Reformatione Francofurtana, Part. III. Tit. 2. §. 5. in primis  
autem

\*) Tom. I. der Bürgerlichen Rechtsgelehrsamkeit der Deutschen §. 789.



autem huc pertinet, et primo omnium locò Ius nostrum Saxonicum Electorale nominandum est, utpote quod diuisionem istam doctrinasque connexas expresse ratas habet atque confirmat. Ceterum hoc nostrò in Iure Saxonico Electorali non nisi duae, quae huc pertinent, exstant leges, quarum prima est et principalis Constitutio Electoralis XXXIII. Part. II. altera vero Decisio XIII. anni saeculi praesentis XXXXVI. Sed utraque harum legum paucis constat breuibusque verbis, quae omnem huius doctrinae ambitum non comprehendunt, neque, quae in vita ciuili hac ex parte obueniunt, quaestiones iuris definiunt omnes et exhauriunt. Itaque in adornanda huius doctrinae sylloge haud raro, ubi deficiunt leges, recurrendum est ad Ictos, quorum praecepta, quamuis auctoritate legum destituantur, nihilo tamen secius, ob tacitum legislatoris, ad cuius notitiam peruenerunt, atque praesumptum consensum, vim iuris recepti et auctoritatem successu temporis obtinuerunt. Summa autem harum Iuris nostri Saxonici Electoralis doctrinarum haec est: Pacta nuptialia vel simplicia sunt, vel mixta. Illa, prouti iam dictum est supra, per modum contractus, haec autem per modum sunt et in vim ultimae voluntatis, \*) utraque vero vel iudicialia sunt, vel extrajudicialia. Ceterum in pactis nuptialibus tam mixtis, quam simplicibus coniugi superstiti bona defuncti vel in uiuere-

\*) Const. 43. Part. II.





sum omnia, vel saltem eorum pars potest assignari, \*) quapropter non modo, quae in vim sunt ultimae voluntatis pacta sunt successoria, sed ea quoque, quae per modum contractus fiunt, pactum successorium, quoad effectum, continere saltem possunt. In quo itaque mixta pacta atque simplicia a se inuicem differant? dispiciendum, atque Samuel Stryckius, fateor, inquit, \*\*) hic unico etiam verbulo effici posse, ut ex pactis simplicibus fiant mixta, e. g. *es soll auf begebenden Todes-Fall der überlebende Ehegatte alle Güter BEHALTEN und HABEN*, pacta erunt simplicia. Si vero inserantur verba ultimam voluntatem sapientia, e. g. si pro HABEN, scribas, ERBEN vel SUCCEEDIREN, pacta erunt mixta. In pactis ergo mixtis ius in bona coniugis defuncti succedendi superstitii per verba: *erben* vel *succediren*, in simplicibus autem per verba: *haben* vel *behalten* addicitur. Quid autem, si dictum sit, *erblich haben und behalten*? Sola mortis commemoratio, inquit Ioannes Henricus de Berger, \*\*) non sufficit, nec vox adiecta: ERBLICH, modo paciscentes abstinerint verbis: SUCCESSIONIS et HEREDVM, atque in illis: HABEN oder BEHALTEN, conquieverint. Atque hoc iure, quamuis illud

\*) Benedikt. Carpzov ad Constit. 43. Parr. II. Definit. 6.

\*\*) de Cautel. Contract. Sect. III. Cap. VIII. §. 21.

\*) Oeconom. Iuris Libr. I. Tit. III. §. XI.



rideat carpatque *Gottlieb Gerhard Titius*, \*) utimur in foro. Pacta, quae per modum contractus ineuntur, nuptialia in specie quod attinet, Constitutio nostra Saxonica Electoralis XXXXIII. Part. II. Cum pacta dotalia contractus sint, duos vel tres testes illis adhiberi, sufficiat, disponit. Non autem is est huius legis sensus, ac si ad substantiam horum pactorum duorum plurimumve testium praesentia requiratur, imo potius, etsi condendis iis nulli interfuerunt testes, nihilo tamen secius valent, \*\*) quodsi vero ista pacta, et quae iis constituta sunt, in dubium vocentur, eaque de re lis oriatur et in iudicium deducatur, id, quod controuertitur, per duos saltem testes probandum est. †) Vtrum autem femina in ineundis eiusmodi pactis curatoris opus habeat consensu, nec ne? de ea re non vna est doctorum sententia, tutissimum est, vt adhibeatur. †) Quoniam vero haec pacta simplicia naturam

C 3 pacto-  
\*) Obseruat 774. ad Lauterbachium, adde Illustr. Carol. Ferdinand. Hommelii Rhapsod. Obs. CCHII.

\*) Ioan. Heintr. de Berger Oecon. Iur. Libr. I. Tit. III. §. XI. Lüder Menken Synops. Theor. et Prax. Pandect. Libr. XXIII. Tit. IV. §. IV.

\*) Bened. Carpzov. ad Const. XXXXIII. Part. II. Def. 8.

\*) Bened. Carpzov. loc. cit. Def. XI. de Berger loc. cit. Libr. I. Tit. III. §. XI. not. 2. Lüder Menken loc. cit. Illustr. Hommelii loc. cit. Obs. XXV.





pactorum contractu inque retinent illaefam, ut cetera pacta omnia, simulac perfecta sunt, mutari amplius, aut, altera parte invita, reuocari non possunt, nec possunt paciscentes ea bona, de quibus inter se pacti sunt, postmodum alienare, aut de iis testari, imprimis propterea, quod is, qui ita paciscitur, sibi ipsi hanc dixit legem, ne velit alienare, et alioquin omnis vis pacti per alienationem elideretur. <sup>d)</sup> Sed iure tamen nostro Saxonico Electorali hodie eiusmodi pacta testamenti factionem quidem aliamue ultimam voluntatem et mortis causa donationem impediunt, non tamen efficiunt, ne vnus paciscentium viuis inter vivos de rebus suis bonisue statuere, bona etiam immobilia obligare, aut alienare possit, nisi diserte nominatimque huic iuri renunciarit, propterea, quod ea pacta de bonis, quae post mortem adhuc supersunt, haud dubie agunt, atque ita in Decisione nouissima XIII. anni saeculi praesentis XXXXVI. constitutum est. Restat, ut de pactis nuptialibus mixtis, quae huc pertinent, subiungamus. De iis autem Constitutio nostra XXXXIII. Part. II. ait: *Vbi vero ita concepta sunt eiusmodi pacta, ut in vim contractus sustineri non possint, veluti, si hereditas in iis in casum mortis invicem sit relicta, tum, si coram quinque, vel pluribus testibus contracta sint, in vim ultimae voluntatis valebunt, idem erit, si in vtriusque partis praesentia iudici insinuata,*

<sup>d)</sup> de Berger loc. cit. Libr. I. Tit. III. §. XI. .XXX MO





*ad acta publica referantur.* Ex quo conficitur, pacta nuptialia mixta, quae apud acta conduntur, sola auctoritate iudicis publica sustineri, <sup>e)</sup> extrajudicialia vero, et quae sustinentur auctoritate priuata, siue ea scripta sint, siue nuncupatiua, vim in vita ciuili auctoritatemque habere nullam, nisi testibus saltem quinque praesentibus sint condita. <sup>f)</sup> Ceterum, vt hi testes speciatim sint rogati, vtque omnes vno eodemque tempore adsint praesentes, quoniam a forma testamentorum ad pacta mixta simpliciter nequeat inferri, si Bergerum nostrum <sup>g)</sup> audiamus, atque Samuelem Stryckium, <sup>h)</sup> necesse non est, quamuis, unitatem actus quod attinet, dissentiat Luderus Menkenius. <sup>i)</sup> Quoniam vero his pactis mixtis hereditas in casum mortis datur, id quod, ex iuris ciuilis principiis, per pacta fieri nequit, cautum est dicta Constitutione Elect. XXXXIII. Part. II. ea, vt in vim vltimae voluntatis valeant. Vnde colligunt ICci, eiusmodi pacta instar aliarum vltimarum voluntatum, ab vna parte, altera quamuis invita, liberrime reuocari posse atque mutari. <sup>k)</sup> Curatoris

<sup>e)</sup> Bened. Carpzov. loc. cit. Definit. 3.

<sup>f)</sup> Bened. Carpzov. loc. cit. Def. 2.

<sup>g)</sup> loc. cit. Libr. I. Tit. III. §. XI. not. 3.

<sup>h)</sup> de Success. ab intest. Dissert. VIII. Cap. V. §. 8.

<sup>i)</sup> loc. cit. Libr. XXIII. Tit. IV. §. V. n. 1.

<sup>k)</sup> Bened. Carpzov. loc. cit. Definit. 10. de Berger loc. cit. Libr. I. Tit. III. §. XI. Lüd. Mencken loc. cit. Libr. XXIII. Tit. IV. §. V.





ris sexus consensus in his pactis vt accedat, non est neces-  
 se, quoniam vltimae voluntates eo non indigent. <sup>l)</sup> Cum-  
 que iure Romano, si qua vltima voluntas in vim vel fidei-  
 commissi vniuersalis, vel legati et fideicommissi particula-  
 ris sustineatur, heredibus ius deducendi quartam vel Tre-  
 bellianicam vel Falcidiaae comperat, haec omnia ICri ad  
 pacta quoque nuptialia mixta transtulerunt. <sup>m)</sup> His tan-  
 dem omnibus addo, si, verum nuptialia pacta mixta sint,  
 an simplicia, ambiguum sit; in dubio ea, quamuis coram  
 quinque testibus inita sint, atque verba: *erblich haben*,  
 iis contineantur, non tamen mixta esse, sed simplicia po-  
 tius praesumuntur, atque testis est Ioannes Henricus de  
 Berger <sup>n)</sup> ita, cum ea res olim in controuersiam deduce-  
 retur, ab Ordine ICtorum Vitebergensium litem hanc  
 fuisse decisam.

<sup>l)</sup> Lüd. Mencken loc. cit.

<sup>m)</sup> Lüder Mencken loc. cit.

<sup>n)</sup> loc. cit. Libr. I. Tit. III. §. XI. not. 4.






Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228.32.35








1506

No. 041

1771 6 17


DIVI  
IN S  
A  
MAI  
DIGEST  
EC  
DIE  
EHR



Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Farbkarte #13

B.I.G.



VRIDICA

M NVPTIALIVM  
XTA ORIGINE  
PRAESENTI  
D E  
EB PAVLI D

PROVINC. CONSISTOR.  
IVRID. ASSESSORE  
O. R. CIOCCCLXXI  
PROPOSITA

IT BLOCHMANN

G A E  
TIANI DÜRRII